



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Directorivm Inqvisorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Quaestio 1. De fidei definitione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**

**H**ACTENVS Eymericus ex varijs Conciliorum, summorum Ponti-  
ficum Romanorum, & sanctorum Patrū locis multa fidei dogmata col-  
legit, quæ ad institutum huius primæ partis spectabant, in quibus de  
suo nihil apponens, sola recitatione contentus fuit. Nunc duodecim quæ-  
stionibus complectitur multa, quæ ad fidē ipsam, & fidei obligationem  
pertinent, ex quorum ignoratione fideles in singulares errores facile incidere possint, in-  
sinuans etiam multa, quæ iam proximus ad negotium Inquisitorum spectat. In his nos  
omissis multis, quæ Theologorum propria sunt, ea tantum adnotabimus, quæ insigniora  
sunt, quæque magis ad susceptum institutum attinent.

QUÆSTIONES DVODECIM  
de pertinentibus ad fidem,  
Inquisitionis officio congruentes.

QUÆSTIO I.  
De fidei definitione.

SUMMARIUM.

- 1 Fides inchoatio est & primum principium.
- 2 Fides habet certam ac firmam adhesionem.
- 3 Fides est de non apparentibus, & indemonstrabilibus.
- 4 Quæ ratione fides ab alijs habitib. distinguatur.
- 5 Variæ fidei explanationes allatæ a Sanctis.
- 6 Clara & absoluta fidei definitio.

Vide theolo-  
gos. li. 1. S. 1.  
dit. 23. Cano-  
nistas c. Fir-  
miter. de sum-  
ma Trin.

**P**RIMA quæstio est. Fides quid est?  
Ad hanc respondemus iuxta men-  
tem S. Thomæ 2. 2. q. 4. art. 1. quod  
Apostolus ad Hebr. 11. declarat fide-  
des quid est, cum dicit: Fides est sub-

stantia sperandarum rerum, argumentum non ap-  
parentium.

1 Dicitur fides substantia, hoc est, inchoatio pri-  
ma. Nam substantia solet dici prima inchoatio  
cuiuslibet rei, & maxime quando tota res sequens  
continetur in primo principio in virtute; per  
quem modum prima principia in demonstratione  
sunt substantia scientiæ. Et sic dicitur fides, substā-  
tia, hoc est inchoatio prima. Dicitur, speranda-  
rum rerum, hoc est, rerum futurarum desiderata-  
rum. Nam prima inchoatio & principium rerū  
sperandarum, in nobis est per fidei assensum,  
quæ virtute continet omnes res sperandas. in hoc  
enim speramus beatificari, quod aperta visione  
in veritate videbimus ea, quibus per fidem nunc  
adheremus.

2 Dicitur argumentum, hoc est inductiuum ad  
alicui firmiter adhaerendum. Nam per argumē-  
tum intellectus inducitur ad alicui vero adhæ-  
rēdum: unde ipsa firma adhaesio intellectus ad fidei  
veritatem, hic dicitur argumentum.

A 3 Dicitur autem, non apparentium, hoc est, in-  
uisorum & indemonstrabilium. Nam articuli  
† fidei sunt inuisi & indemonstrabiles. quia nec  
videmus ad sensum, nec intelligere, nec inuesti-  
gare valemus per demonstrationem cogentem  
mentem, & necessarium argumentum: sed tantum  
per diuinum dictum mentis oculis intuemur. Ex  
quibus relinquitur, quod Apostolus bene dicit  
cum ait, quod fides est substantia sperandarum  
rerum argumentum non apparentium.

4 Et sic bene dicit: quod per predicta ab alijs,  
quæ ad intellectum pertinent, fidem distinguit.  
Nam per hoc, quod fides dicitur, substantia, di-  
stinguitur a spe & charitate, quæ nulla est in-  
choatio: quia fides est virtutum fundamentum  
primum, & substantia; & non spes, nec virtus alia.

B Per hoc quod dicitur, sperandarum rerum, distin-  
guitur virtus à fide eorum sumpta: quæ ad beati-  
tudinē sperandam non ordinatur. Per hoc quod  
dicitur, argumentum, distinguitur fides ab opi-  
nionē, suspitionē, & dubitationē, per quas non  
est aliquid firma adhaesio intellectus. Per hoc quod  
dicitur, non apparentium, distinguitur fides a sciē-  
tia & intellectu, per quæ aliquid sit apparet. Ex  
quibus omnibus apparet, quod Apostoli prædi-  
cta fidei declaratio est proprie definitio.

5 Omnes autem aliæ definitiones a Sanctis da-  
tæ, potius sunt prædictæ Apostoli explanationes,  
quæ definitiones. Quod enim dicit Augustinus:  
† Fides est virtus, quæ creduntur quæ non viden-  
tur: & quod dicit Damascenus, † quod fides est  
non inquisitus consensus: & quod alij dicunt,  
quod est certitudo quædam animi de absentibus  
supra opinionem & infra scientiā: idē est quod  
dicit Apostolus, argumentum non apparentium.  
Quod vero Dionysius dicit 7. c. de diuinis nomi-  
nibus, quod fides est manens credentium funda-  
mentum, collocans eos in veritate, & in ipsis ve-  
ritatem ostendens; idē est et quod dicitur, sub-  
stantia sperandarum rerum.

6 Ex quibus omnibus potest constare clare fidei  
definitio, quæ sit talis, quod Fides est mentis ha-  
bitus siue virtus, quia inchoatur vita æterna in  
obis, faciēs intellectum non apparentibus assentire.

EX

† De  
tezia  
rum  
opus  
super  
ter. q.  
praef.  
sum. a.  
stien  
ma  
Catho  
quæ  
tiali.

† al.

† al.  
tis.

† Trad.  
Io. a  
& li. 1. q.  
Euang. q.  
† Lib. 4.